

Constitutio UNIGENITUS propugnata

48

47

Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium.

4 Idem i. parte quest. 83. art. 3. *Proprium liberi arbitrii est electio; ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimus, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Propositio damnata omnibus gratia efficaci carentibus solam relinquit potestatem peccandi, & opus praeceptum omitendi; non autem illud ponendi, aut volendi: atque ita peccamus necessariò; sic tollitur vera ratio demeriti, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, punitio, & vituperium. Haec quidem rationes propositionem praecipue damnabilem redundunt; sed & impiis placent maximè, & novatoribus ad hæresim disseminandam opportunitatem sunt; ut de Bajanismo & Jansenismo, cur tantos in Gallia, & Belgio progressus fecerint, examinans Cardinalis Palavicinus in Historia Concilii Tridentini par. 2. lib. 15. cap. 7. observat, & alias à me relatum est. Aquinatus consentit Scotus in 2. dist. 37. q. 2. §. RESPONDEO si Deus: Non est iustitia debita à voluntate creaturae, nisi in quantum in potestate ejus est recte agere, ita quod nulla intelligitur subtractio causa prioris, ob cuius defectum non possit voluntas recte agere. Quesnelli propositio omnibus partibus Scotistica oppositum. Vult enim iustitiam deberi à voluntate creaturae, etiam dum in potestate ejus non est recte agere, & dum intelligitur subtractio causa prioris, seu gratia ob cuius defectum voluntas recte agere non possit.

5 Duobus schola principibus Angelico, & Subtili consentiunt hic omnes passim Scholastici, quorum verba referre infinitum foret, & legentibus molestum. Loca quædam indicare sufficiat. Ockam in 1. dist. 38. q. unica. Gabriel in 1. dist. 38. q. unicâ art. 1. & alibi. Johannes Major in 1. dist. 1. q. 3. 4. 7. 19. & in 2. dist. 25. per 4. quæstiones Almainus tract. 1. mor. cap. 1. nota. 1. & sequent. Petrus de Aliaco in 1. q. 1. art. 1. & q. 12. art. 3. Franciscus à Victoria in relect. de peccantibus ad usum rationis, num. 4. 5. Dominicus Soto lib. 1. de natura & grat. cap. 16. Waldensis lib. 1. doct. fidei à cap. 22. usque ad 30. Durandus in 1. dist. 47. q. 1. num. 6. & in 2. dist. 24. p. 1. q. 2. num. 12. Guilielmus Altisodorensis lib. 2. summ. tr. 1. q. 2. Cajetanus 1. p. q. 14. art. 13. & q. 22. art. 4. & q. 47. art. 2. & in 1. 2. q. 10. art. 4. Ferratiensis lib. 1. contra gentes q. 82. 89. §. Ad omnia ista. Joannes Eckius in Enchiridio loc. comm. loco 31. Roffensis in art. 36. contra Lutherum, Andreas Vega lib. 2. in Trid. à cap. 12. ad fin. libri & lib. 6. cap. 7. 8.

6 Adversus tantam autoritatem erigere se non ita pridem ausus est quidam Duacense Academæ Cancellarius, Jansenio, & Arnaldo devotus, qui tum in dictatis publicis, tum in thesibus typo editis sustinuit secundæ propositionis Quesnellianæ doctrinam, ut ex his Episcopi Tornacensis literis ad Cancellarium datis 1687. 27. Junii manifestum est: Significas, Frater, te nihil nisi iustum, & religiosum defendere, cùm ait: Quicumque caret gratia efficaci, mandata Dei non solum non adimplere, sed nec adimplere posse. Et hic est totius tui de gratia Systematis cardo, atque, ut ita dicam, occulta macula. Sed quondam, amabo Frater, discrimen intercedit inter tuam puram putam doctrinam, & primam è quinque ab Innocentio X. atque Alexandro VII. damnatam propositionem, disertis verbis à Jansenio Irenæ conceptam? Contra hujus Antistitis censuram excipere novi Augustini discipuli non possunt, utpote quem sapientis arbitrum elegerint, & producere solent velut patronum.

7 Neque suspectus iis esse potest Episcopus Atrebatensis, qui anno 1687. die 13. Augusti tractatum de gratia ab eodem Cancellario in Schola Theologica dictatum, & recognitum, propter memoratam propositionem, & alias similes damnavit, tanquam continentem Doctrinam falsam, temerariam, hæreses condemnatam Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII.

8 Saltè omni exceptione major apud adversarios debet esse Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis, qui anno 1696. 20. Augusti librum Gallicum Gabrielis Gerberon, cui titulus: *Expositio Fidei circa gratiam, & prædestinationem se examinasse testatur, & facile in eo agnoscere totum Jansenianum dogmatum venenum, nempe propositionem primam, quæ est origo, & fundamentum ceterarum: quæ JUSTIS CADENTIBUS ADMITTUR GRATIA, SINE QUAE NIHIL POSSUMUS: Tum Cardinalis subjungit: Supervacaneum foret alias ejusdem libri propositiones referre; inhaerendo autem Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. librum damnat, tanquam continentem Assertiones respectivè falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemias, Deo contumeliosas, derogantes ejus bonitati, percussas anathemate, & hæreticas. Igitur totum Jansenismi venenum, fundamentum, & originem damnatarum in eo propositionum agnoscit Eminentissimus, relatam ex libro, Expositio fidei, assertionem, quæ cum secunda Quesnelliana prorsus convenit. Dum enim Expositio fidei adimit justis cadentibus gratiam efficacem, nihil asserit, quod abullo vocari possit in dubium. Sed quod sine ea non detur gratia sufficiens, neque præcepit ser-*